

Epistola P. Pauli Ragueneau ad R. P. Vincentium
Caraffam, Præpositum Generalem So-
cietatis Jesu, Romæ.

NOSTER ADMODUM REVERENDE IN CHRISTO PATER
Pax Christi.

Accepi literas admodum Reverendæ Pater-
nitatis Vestræ datas 20 Januarii 1647. Si quas ad
nos rescripserit superiore anno 1648, nondum eas
accepimus. Significat Paternitas Vestra gratos sibi
esse nuntios de statu missionis hujus nostræ Huro-
nensis; imo (quæ est ejus erga nos Paterna charitas)
ad minima etiam descendit, seque jubet de omnibus
feri certiore.

Patres hic sumus octodecim, coadjutores quatuor,
Domestici perpetui viginti tres, famuli septem non
perpetui (quibus solis stipendia solvuntur), quatuor
pueri, octo milites: nimirum ita nos premit bellicus
furor hostium barbarorum, ut nisi momento perire
res nostras nobiscum velimus, fidemque adeo omnem
extingui, in his regionibus jam satis late diffusam,
omnino nobis necesse fuerit præsidium quærere eorum
hominum, qui simul et operis domesticis, et rei rus-
ticæ excolendæ, et præsidiis extruendis, et rei mili-
tari vacent. Cum enim hactenus superioribus annis,
sedes nostra, quam Domum Stæ Mariæ vocamus, mul-
tis hinc inde in omnem partem, Huronum nobis
amicorum oppidis cincta esset, plus illis, quam nobis